Universitätsbibliothek Paderborn

De Conivgio Doctrina

Wigand, Johann

Jhenæ

VD16 W 2745

De Conditionali Consensv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36207

Visual Library

DE CONDITIONALI CONSENSV.

Hactenus de plano & pleno conſenſu contrahentium, quædam diximus, nunc etiam de Conditionali conſenſu, præcedente deſponſationem publicam, aliquid ſubyciendum videtur.

Conditio autem vel iuſta eſt, vel iniuſta. Iuſta vocatur, quæ honeſta & poſſibilis eſt, & ad ſubſtantialia Matrimonij, aliqua ratione pertinet.

Iniuſta verò conditio dicitur, quæ inhoneſta, vel impoſſibilis eſt, nec pertinet ad Coniugij ſubſtantiam.

REGVLA.

Videndum in conditionibus, quæ iuſtæ, quæué iniuſtæ ſint? Item, in quibus aliqua ἐπιείκεια *adhibenda?*

Iuſtæ conditiones ſunt, ſi alteruter contrahentium, excipiat parentum aut cognatorum aſſenſum. Item, ſi honeſtè ſit natus, ac poſſit in ſocietate honeſta artificum tolerari (Ampt vnd gilde beſitzen.) *Item, ſi expectet vna pars, donec altera adoleſcat, & ſimiles.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REGVLA.

Conditionalis aſſenſus eſt imperfectus, ante conditionis impletionem, eamq; ob cauſam mutabilis, iuxta Dialecticam & veram regulam: Poſitio conditionalis, nihil ponit.

Iniuſtæ conditiones ſunt, pugnantes cum verbo Dei, aut honeſtate, aut quæ ſunt meræ ludificationes, vt, ſi altera pars interficiat parentes, aut ſi furetur matri theſaurum, aut ſi velit prius ſecum in ſcortacione viuere, aut ſi cœlum digito attingat, vel aquam toto mari exhauriat, &c.

REGVLA.

Iniuſtæ conditiones non valent, nec requirunt impletionem.

DE CONSENSV RO-borato.

Interdum conſenſui inter ſe contrahentium, additur quaſi robur quoddam, vnde roboratum appellare libuit, vt quando ante deſponſationem legitimam, (Nam intra hoſce terminos nunc incedimus) ſibi inuicem, vel vna tantum pars alteri donat aliquid, in confirmationem

pro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN